



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

II. De pace inter episcopos conseruanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
CHRISTI
567.

præcepto Domini persona cuiuslibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit. Si quis episcoporum, vt superius dictum est, ad Synodum venire distulerit, vsque ad maiorem Synodum a metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus: nec ei ex alia prouincia vllus episcopus interea communicare præsumat. Ipse enim suæ diuisionis præparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris ecclesiæ non concordat.

II.

Item decernitur propter illud cæleste mandatum, *Pacem meam do vobis*, vt pontificalis affectus ^{Ioan. 14.} inter confacerdotes inuiolabiliter conseruetur. Verum si pro peccatis, vt assolet, ex causa liuor emerferit, vt pendente certamine sibi inuicem reconciliari non possint, electis ab vtraque parte fratribus, id est presbyteris, præponderante dulcedine litis iacula finiant, & vota pacis acquirant. Nam qua fronte festucam de alterius oculo velit eruere, qui in suo trabem non respicit imminentem? aut quid in aliis arguat, a quo magis vitii fons inundat? Si quis autem ab vtraque parte, vt dictum est, electis presbyteris atque mediantibus fratribus, hoc est, suis membris, reconciliari neglexerit, cum ad Synodum venerit, non solum reatum coram coepiscopis se cognoscat incurrere, verum etiam congruæ pœnitentiæ intelligat vindictam subire. Opportunum namque est illum animaduersione succumbere, qui intelligendo peccauit, & quod docere debuit, in seipso neglexit.

Concil. Tom. 12.

F f f f